



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

Limpens, Ferdinand

Coloniæ Agrippinæ, 1744

Animadversio VI. Circa conversationem cum proximo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54750](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54750)

rigantur via mea ad custodiendas justificationes tuas. Ps. 118. Deduc me, Domine, in viam tuam, & ingrediar in veritate tua, latetur cor meum, ut timeat nomen tuum. Ps. 85. Vera cordis latitudo consistit in eo, quod omni actioni, conversationi conjunctus sit metus filialis erga DEUM. Qui cogitaverunt supplantare gressus meos, juxta iter scandalum posuerunt mihi. Ps. 139. Dum sine socio & teste vitæ eos accessi, vel cum iis egi, NB. quia in hoc libello nil quæro aliud, nisi ut inculcem principia instituto nostro conformia à juvenia in senectam & mortem usque, in omni opere quotidiano observanda, plurimùmque sæpè temporis conversando cum proximis transigitur; perquam utile judicavi, hinc quoque digressionem aliquam hunc in finem facere.

ANIMADVERSIO VI.

Circa conversationem cum proximo.

*C*um occasio se dat, dicebat S. P. N. teste Ribad. L. 1. c. 16. *familiariter, & ex aquo loco discurremus, atque homines ad odium peccatorum, amorémque probitatis hortamur. Et sanè aptissimum ad hoc medium est conversatio, familiaréque cum proximo colloquium, sive id impendatur instruendo fideles ac infideles in rebus ad fidem & animæ salutem pertinentibus, sive consolando afflictos, sive inveteratos peccatores emolliendo, & mortales inimicitias extinguendo, sive incarceratos, & ad mortem damnatos roborando, sive ægris ac moribundis assistendo,*
sive

five per visitationem amicam benevolentiam eorum conciliando, augendo, conservando, per quos multum mali impeditur, multum boni, salusque animarum procurari potest. Totius rei cardo in hoc vertitur, ut per conversationem quamcumque finis à S. P. N. intentus & intendatur, & attingatur. Hinc (dum te domi subinde recolligis, & minimè, ut Cato dicere solebat, otiaris, dum vel maximè otiosus esse videris) morosè rumina observanda circa hæc quinque puncta. 1. Intentionem. 2. Qualitates in conversante requisitas. 3. Qualitates discursuum. 4. Observanda circa tempus. 5. Circa modum.

Intentio conversantis.

1. **P**ER se patet, quòd cum proximo conversans aliam intentionem habere non debeat, quàm quâ quærit ultimato DEI gloriam, & spirituale bonum proximi. Ut Christus, dum anno ætatis trigesimo cœpit agere cum proximo, circumire civitates & oppida, prædicare regnum DEI in Synagogis & conventibus publicis & privatis domesticos inter parietes; duplicem intentionem hanc indefinenter declaravit his verbis: *Non quero gloriam meam, sed eius, qui misit me. Venit Filius hominis querere, & salvum facere, quod perierat.* Intentio hæc tanquam basis & fundamentum, cui vita Apostolica innitur, à S. P. N. nobis in aureo exercitiorum libro, in binis illis celeberrimis meditationibus de regno Christi, & de duobus vexillis solidè inculcatur,

Hinc